HOMILIARIUM

Admont, 2. Hälfte 12. Jh.

Seite 150r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26007
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tha pia sollicitudine ac dispensatione distenta, solam se videns
ad tantum ministerium non posse sufficere, adiutorium sororis a domino
postulat dicens: Domine non est tibi curae quia soror mea reliquit me solam mi-
nistrare? Dic ergo illi ut me adiuvet. Utique non ad vile opus sed ad
laudabile eam ministerium provocabat. Ex illorum enim persona loquitur
qui adhuc divinae contemplationis ignari solum quod didicere fraternae
dilectionis opus deo placitum ducunt, ideoque cunctos qui Christo de-
voti esse volunt huic mancipandos autumant. Et bene Mar- .T.
tha stetisse, Maria secus pedes domini sedisse describitur, quia vita
activa laborioso desudat in certamine, contemplativa vero pa-
catis vitiorum tumultibus optata iam in Christo mentis quiete perfruitur.
Ad quam se nondum pervenisse Paulus apostolus proclamans ait: Non enim quod
volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago. Multa enim novimus
bona quae beatum apostolum omnisque illi meriti viros et habuisse per na-
turam et acquisisse per gratiam certissimum est. Est enim bona castitas,
laudabilis continentia, miranda prudentia, larga humani-
tas, circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta
iusticia, quae omnia in apostolo Paulo eiusque consortibus ita plena atque per-
fecta fuisse non dubium est, ut virtutum potius quam verborum magisterio
ab eis religio doceretur. Quid dicam quod iugi ecclesiarum omnium cu-
ra pervigili sollicitudine semper excusti sunt. Quantum hoc in medie
bonum, quanta perfectio est pro scandalizantibus uri, cum infirmantibus
infirmari. Cum ergo tantis apostolus abundaverit bonis, quod illud sit
boni cuius perfectione caruerit non poterimus agnoscere, nisi in illum
quo ipse locutus est perfecerimus affectum. Omnis itaque quas diximus eum